Quaestionum Statianarum Particula III.

Scripsit

Ludovicus Polster.

1884. Beilage z. Progr. (Ostrowo) Nr. 142.

In Statii silv. l. I ecl. 2. v. 252 seqq. vulgo leguntur haec:

Hunc ipse Coo plaudente Philetas
Callimachusque senex Umbroque Propertius antro
Ambissent laudare diem, nec tristis in ipsis
Naso Tomis divesque foco lucente Tibullus.

Celebrat hoc epithalamio Statius L. Arruntii Stellae, iuvenis et divitiis cumulatissimis excellentis et poesis, quam amplectebatur diligenter, studiis ornatissimi nuptias cum Violantilla, quam eandem Ianthidis nomine ficto praedicavit Martialis. Certarent laetitia, inquit poeta, cantuque sacrarent Callimachi, Propertii, Tibulli, omnes omnino poetae elegiaci diem nuptiarum, quas Stella molitur, qui idem inter elegiacos excellat. Iam prima fronte apparet in textu qui dicitur corruptela inquinatam esse lectionem 'Philetas', quam nondum quisquam dispexit. Sine dubio restituendum est: 'Coo plaudente Phileta', qua emendatione et periodus cursu fluit concinno et sermonis poetici consuetudo servatur sollemnis. Adde quod neque 'Cous' vocabulum nude positum sensum praebet et 'Coi Philetae' dictioni respondet usus frequentissimus et fere proprius. Cf. Prop. 4,1,1 (ed. Teubn.) 'Et Coi sacra Philetae.' 'Cous poeta' Ovid a. a. 3,329 et similia. Sequitur ut de eiusdem libri carmine disputemus tertio, quo carmine haud scio an nullum sit obscurius aeque lectionum misero statu atque sententiarum difficultate. Atque ut iam ad singulas quasque, de quibus adhuc sub iudice lis est, quaestiones vela det disputatio, describitur hoc carmine villa Tiburtina Manilii Vopisci, quam Anio flumen interfluebat, ut fierent duae. (v. 2. 24 sqq.) Iam inde a. v. 42 prae ceteris duas imprimis laudibus effert aulas, qui versus secundum Baehrensii editionem leguntur sic:

Venerabile dicam
Lucorum senium? Te, quae vada fluminis infra
Cernis, an ad silvas quae respicis, aula, tacentis,
Qua tibi tuta quies offensaque turbine nullo
Nox silet et pigros mittunt iam murmura somnos?

Mirum quomodo Baehrensius grassatus est in textu versuumque horum memoria. Ac primum quidem restituenda cod. Vrat. lectio 'tota' unice vera, quae et verbis sequentibus 'offensaque turbine nullo' munitur et confirmatur silv. 3,5,83 ubi similiter legitur 'et nunquam turbata quies'. Pro 'mittunt iam', quae lectio Baehrensii coniecturae tribuitur, codd. exhibent 'mutantia'. At primo statim obtutu 'iam' vocula secundum Baehrensii coniecturam et centonis speciem prae se fert et

a sensu est aliena, cum de tempore generatim fiat sermo. Ascita codd. lectionis 'nigros mutantia' 's' litera extrema vocis 'nigros', cum probabilitate haud parva elicietur 'simulantia', id quod sensus requirit, praeterquam quod dictioni Statianae optime convenit. Etenim mire sibi constat Statius poeta in eiusmodi exemplorum similitudine. Cf. silv. 5,4,4 'et *simulant* fessos curvata cacumina *somnos*.' Accedit quod 's' litera forte omissa facillime fieri potuit, ut lectio residua 'imulantia' parum intellecta verbo tritissimo 'mutantia' cesserit. Neque vero lectionis 'nigros somnos' quidquam mutandum, id quod fecit Baehrensius, qui Peyrsredi coniecturam 'pigros' temere secutus quaestionem parum perpendit. Quoniam enim sententiae cardo in eo vertitur, quod nunquam in villa Tiburtina Manilii Vopisci quies noctu sit turbata, verba 'nigros simulantia murmura somnos' nihil aliud significare possunt nisi vicinam villae regionem Stygios somnos Stygiamque quietem imitari videri. Quae eadem sensus parum perspecti causa fuit, cur Baehrensius haereret in v. 23 verborumque tenorem omni ex parte rectum atque genuinum, Heinsii coniecturam amplexus, mendis contaminaret insertis. Laudat ibi poeta Manilii Vopisci, 'viri eruditissimi et qui praecipue vindicabat a situ literas iam paene fugientes' (cf. ep. I) studia poetica. Omnium codd. consensu quamquam lectio munitur 'Pieriosque dies et *habentes* carmina somnos', tamen Baehrensius in textum recepit 'et *alentes* carmina somnos' sensumque praestantem turbavit. Nonne ei in mentem venerunt somnia poetica veluti Propertii el. 4,3 (ed. Teubn.): 'Visus eram molli recubans Heliconis in umbra', somnium Scipionis et quo imprimis huic loco lux affunditur a Statio narratum in silv. 5,3,291? 'Sic sacra Numae ritusque colendos Mitis Aricino dictabat Nympha sub antro *Scipio sic plenos Latio Iove ducere somnos*, Creditus Ausoniis et non sine Apolline Sulla'. Silv. 3,3,204.

Iam imagine villae summo verborum ornatu descripta enumerataque ingenti copia auri, argenti marmorumque variis generibus laudatis, ad arborem se convertit poeta, quae e media villa in liquidum aera vetustate iam sacra ideoque a possessore intacta ramis racemisque eminebat.

Versus sunt hi:

Quid te, quae mediis servata penatibus arbor
Tecta per et postes liquidas emergis in auras,
Quo non sub domino saevas passura bipennes?
Et nunc *ignaro* forsan vel lubrica Nais
Vel non abruptos tibi demet Hamadryas annos.

Lectionem 'ignaro', quae lectio v. 62 repperitur non tolerabilem esse, vix est quod pluribus demonstrem. Cum probabilitate vel summa scribendum mihi videtur 'ignorans'. Quoniam, ut ait poeta, dominus ipse securim tibi infligi non patietur, fiet ut senio conficiaris, ut vel Nais imprudens rodente aqua te infringat vel Hamadryas labente vigore te relinquat atque ita annos a domino non abruptos tibi demat. Legendum igitur sic:

Et nunc *ignorans* forsan vel lubrica Nais
Vel non abruptos tibi demet Hamadryas annos.

De 'ignorans' voce cf. Verg. Aen. XII 421 'Fovit ea vulnus lympha longaevus Iapis *ignorans*.'

Alii alia tentaverunt, Baehrensius 'ignavos', quod adiectivum omnino otiosum, Heinsius 'ignarae', Gronovius 'intactae'.

Sequitur, ut ad v. 98 eiusdem carminis transeamus, quamquam, prout commentarioli huius rationes ferunt, brevius. E versibus 88,89 apparet condidisse hoc carmen Statium autumni tempore, cum ad profectionem se accingeret Vopiscus, ut more divitum Romanorum hiemem consumeret Antii. Cur, inquit poeta, Antium petis spreta villae tuae omni deliciarum copia affluentis vicinitate, sive ut ipsius poetae verbis utar: Cur oculis sordet vicina voluptas? Ac mihi quidem eclogae huius difficillimae condicionem saepius consideranti haud parum probabile visum est, corrigi debere: 'Cur oculis sordet vicina Voluptas?' Intellegendum est nomen villae. Suspicor igitur villae Manilii Vopisci nomen fuisse 'Voluptas.' Similiter queritur Pollii Felicis villa 'Limon', quotiens Pollius villam Surrentinam praeferat ibique versetur. Cf. silv. 2,2,81 'Angitur hac domino contra recubante proculque Surrentina tuus spectat praetoria Limon'. Iam simplicissime colligi poterit, id quod suspicioni nostrae vel maxime suffragatur, cur ipsa Voluptas dea a poeta imaginem villae descripsisse fingatur. Cf. v. 9. 'Ipsa manu tenera fertur scripsisse Voluptas.' Villis Romanorum nonnunquam cognomina indita esse constat, veluti perhibetur Pausilypon (cf. Friedl. H. m. R.), nostrum „Sorgenfrei", Sanssouci. Suet. Galba 1 'ut hodieque ea villa ad Gallinas vocetur.' Ne multus sim, villae illius Hadriani Tiburtinae aliis partibus alia cognomina velut Tempe, Canopus similiaque fuisse notum est. Eiusdem libri ecloga quarta agitur de 'soteria Rutilii Gallici.' Miserat hoc carmen Statius poeta ad Rutilium Gallicum id temporis praef. urbi, cum gravi morbo expeditus convalesceret. Initium carminis vulgo legitur sic:

Estis, io, superi, nec inexorabile Clotho
Volvit opus, videt alma pios Astraea Iovique
Conciliata redit dubitataque sidera cernit Gallicus.

Pro 'redit' voce codd. exhibent omnes 'cadit'. Coniectura 'redit', quae Barthio debetur, non omni ex parte sufficit; neque enim de Astraeae reditu hoc loco sermo est. Si quid sentio, dicturus erat poeta, videre adhuc Iustitiam pios immeritosque mortales eosque respicere atque tueri. Quae cum ita sint, pro 'cadit' 'colit' coniecerim, frequenti 'cl' et 'd' literarum confusione nisus. Quid? si in codd. exaratum erat 'colit', nonne cum probabilitate vel magna suspicere, notione verbi non intellecta inserta litera 'a' a librario nescio quo, sensui subventum esse, totius loci sententiae non item. De colendi verbi notione cf. Stat. Theb. 6,279 Ast illam melior Phariis erexerat arvis Iuppiter, atque hospes iam tunc Aurora colebat. Quod Baehrensius Nic. Hopfio auctore in textum recipiendum sibi persuasit 'conciliat vivit', cum nimis a codd. vestigiis discedat, haud cuiquam probabitur. In eiusdem eclogae v. 11 'leges urbesque ubicunque togatae' lectionem 'leges' non immerito viri docti in suspicionem vocarunt, cum ad 'urbesque' substantivi vim et notionem substantivum desideretur similis significationis. Secundum dicendi consuetudinem Statianam transposita prima corruptelae syllaba legendum est 'gentes urbesque ubicunque togatae'. Cf. silv. 1,6,36 'et gentes alis insimul togatas.' Verg. A. 1,281 'gentemque togatam.' Quod Baehrensius commentus est 'reges urbesque ubicunque locatae' nemo est, quin frigidum esse concedat. In

eadem ecloga corruptelam sustulisse mihi videor, quae interpretum adhuc frustra vexavit acumen, corruptelam dico, quae in v. 62 repperitur. Versus sunt hi:

Tunc deus, Alpini qui iuxta culmina dorsi
Signat Apollineo sanctos cognomine lucos,
Respicit heu tanti pridem securus alumni
Praegressusque moras: Huc mecum Epidauria proles
Huc, alti gaudens, datur aggredienda facultas
Ingentem recreare virum.

Sensus est perspicuus. Cohortatur Apollo Aesculapium, ut secum Rutilio Gallico morbi vehementia afflicto subveniat. 'Alti gaudens' lectionem corruptam esse patet. Atque Gevartius quidem 'altis', Heinsius 'ait en' coniecturis mendum sanari posse sibi persuaserunt. At tantum abest ut his suspicionibus difficultates sublatae sint ut sint auctae. Alterum enim 'altis gaudens' non respondet Aesculapii numinis naturae, alterum vocem 'gaudens' reddit languidam superfluamque. Mihi quidem altius mendum subesse videtur. Desideratur enim, si quid sentio, nomen loci, quo Aesculapii cultus florebat, id quod addito verbo 'gaudens' diserte indicatur. Neque quid sit substituendum, diu quaesiveris, cum ipse Aescalapii cultus Latinus, ascitis corruptelae vestigiis, emendationem ostendat. Scribendum enim: Huc mecum Epidauria proles, Huc, Antii gaudens!

Scriptum enim legitur, cum Romani, peste infelici exorta, legatos mitterent Epidaurum, qui Aesculapium Romam invitarent, factum esse ut anguis Aesculapii sacer ab ara emergeret atque in navem Romanam serperet. Nave Antii appulsa, anguis erepsit petiitque Apollinis lucum, ubi per triduum circumvolutus palmae impendit. Quod omen in causa fuit, cur Romani Aesculapio templum aedificarent insigne Antii. Ceterum cf. Prelleri M. R. p. 606 et Ovid. Met. 15,722.
II 1,82 sqq:

Fas mihi sanctorum venia dixisse parentum
Tuque, oro, Natura, sinas, cui prima per orbem
Iura animis sanare datum.

V. 84 corruptelam 'iura animis sanare' si consideraveris, cum probabilitate multo maiore emendationem 'sacrare' praetuleris, quam elicuimus Marte nostro, ut aiunt, ei quae Heinsio auctore vulgo recipitur 'sancire', praesertim cum consuetudine dicendi frequentissima ac paene trita commendetur. Cf. Ovid. Met. 10,321 'Di, precor, et Pietas, sacrataque iura parentum'. Verg. A. 2,157 'Sacrata iura Graiorum.'

II. 1,189 sqq: Quid mihi gaudenti proles Cyllenia virgo
Nuntiat? Estne aliquid tam saevo in tempore laetum?
'Noverat effigiem generosique ardua Blaesi
Ora puer, dum saepe domi nova serta ligantem
Te videt et similes tergentem pectore curas.'

Quae v. 193 omnium codd. consensu exhibetur lectio 'curas' mirum est quod huc usque virorum doctorum fugit suspicionem, cum plane absona sit. Prosequitur poeta hoc epicedio ad Atedium Meliorem dato equitem Romanum sibique familiaritatis vinculo maxime coniunctum, laudes Glau-

ciae, pueri delicati, iniquo fato praematura morte abrepti. (cf. v. 134 sq.) In tam atroci, ait poeta, tamque saevo luctu unam medicinam offert Mercurius unumque solamen, quod puer amissus apud inferos umbram Blaesi, amici fidissimi tibique carissimi agnovit, cuius signum statuamque saepe te coronantem viderit domi tuae vivus. Reliquerat Blaesus Meliorem, quo familiarissime usus erat, heredem, isque more solito, ut par erat, sertis et coronis, quibus statuas ligabat, Blaesi memoriam sacrabat. Cf. Mart. VIII 38,10. Iam quid sibi velint v. 193 verba 'et similes tergentem pectore curas', cum omnino non pateat cumque nisi de simili imagine Blaesi sermo non sit, restituendum est, id quod sensus efflagitat 'et similes tergentem pectore ceras.' Erant igitur vultus Blaesi cera expressi, Cf. silv. 5,1,1. 'Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras.' Iam locus nulla difficultate implicatus. Ora Blaesi puer cum ex effigie similibusque ceris, quas saepe coronis decoravisti ulnisque amplexus es, norit, vestigiis Blaesi apud inferos insistet sermonesque memor tui cum eo communicabit. De vocis 'cerae' usu cf. silv. 3,3,201 Te similem doctae referet mihi linea cerae.' Mart. VII 44 'Maximus ille tuus, Ovidi, Caesonius hic est, Cuius adhuc vultum vivida cera tenet.' X 37 'Haec mihi quae colitur violis pictura rosisque, Quos referat vultus, Caediciane rogas?' Silv. 2,7,129 de Lucani effigie: 'Vultus 'qui simili notatus auro . . . pracnitet.' De 'pectore tergere' significatione cf. silv. 5,1,168. 'Nunc anxius omnibus aris Inlacrimat signatque fores et pectore terget Limina i. e amplectitur. 4,6,95.

Quae eadem verborum 'curae' et 'cerae' confusio pro literarum levi discrepantia frequens me quidem iudice necessario statuenda in l. I ecl. 1, v. 100, ubi legitur: 'Apelleae cuperent te scribere cerae Optassetque novo similem te ponere templo Atticus Elei senior Iovis.'

Iussus erat Statius carmine celebrare 'equum maximum', qui in honorem Domitiani, triumpho de Dacis Sarmatisque acto, Romae erat exstructus. Praedicat poeta Domitiani pulchritudinem, quam vel Apelles vel Phidias alter coloribus alter marmore effingere voluissent. Iam quid significent verba 'Apelleae cuperent te scribere cerae' non est perspicuum; sensui enim repugnant, cum cerae ipsae neque dici possint depingere velle vultum imperatoris per linguae Latinae leges neque per logices praecepta. Simplicissima ratione mendum tolletur 'e' in 'u' literam mutata. Cui emendationi vel maxime favet vocis 'curae' adhibitae frequentissima similitudo ac fere propria. Cf. silv. 5,1,8 'Curasque fatigat artificum.' 4,6,44 'Quanta experientia docti Artificis curis pariter gestamina mensae Fingere.' silv. 5,1,6. 4,6,29.

II 2, 123 sqq:

Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,
Non leges, non castra tenent, qui pectore magno
Spemque metumque domas tuto sublimior omni,
Exemptus fatis indignantemque repellis Fortunam.

Laudat poeta amici Pollii Felicis animi integritatem, quod vitam degat umbratilem et eloquentiae et poesis studiis fecundam, et quae nullis animi perturbationibus agitetur. Iam sententiae quae dicitur summa cum in eo versetur, Pollii animum liberum esse omni motu, qui 'spemque me-

tumque domuerit (v. 125), cum verisimilitudine non parva contenderis scripsisse Statium: 'Spemque metumque domas *motu* sublimior omni', quae coniectura haud parum commendatur v. 131 'Celsa tu mentis ab arce Despicis errantes humanaque gaudia rides.' Domitii 'vitio' Baehrensiique 'astu' in sententiae medullam non penetrant.

II 3,64 sqq. de Atedii Melioris vitae degendae ratione et moribus proferuntur haec:

Tu, cuius placido posuere in pectore sedem
Blandus honos hilarisque tamen cum pondere virtus,
Cui nec pigra quies nec iniqua potentia nec spes
Improba, sed medius per honesta et dulcia limes,
Incorrupte fidem nullosque experte tumultus
Et *secrete*, palam quod digeris ordine vitam . . . .
Iliacos aequare senes et vincere persta.

Laudat his versibus poeta Meliorem, cuius vita in aprico sit posita, nullis tumultuum irretita laqueis. Quae cum ita sint pro 'nullos experte tumultus et secrete' legendum 'nullos experte tumultus et *secreta*, palam quod digeris ordine vitam'. Intellegenda sunt philosophorum dogmata et ea quidem prae ceteris Stoicorum, Domitiani temporibus suspecta. Cf. Mart. I 8. 'Thraseae atque Catonis dogmata sic sequeris, salvus ut esse velis, *pectore nec nudo strictos incurris in enses.*' Sen. ep. 91 'secretissimos tumultus' Suet. Dom. 10. Tac. a. 14, 22. ib. 57. Quod Marklandus suspicatus est 'secure' quamquam Baehrensio placuit, vix cuiquam probabitur, quoniam et a lectione tradita nimis discedit et totius sententiae intimae condicioni minus respondet.

II 6, 48 sqq:

Nam pudor ingenuae mentis tranquillaque morum
Temperies teneroque animus maturior aevo
Carmine quo *potasse queam*?

Agitur de Phileto, Flavii Ursi puero delicato, qui quindecim annos natus diem obierat supremum (v. 70). Iam Marklandus pro ingenii, quo mire excellebat, acumine perspexerat in mendo 'potasse latere verbum, quo significetur, quemadmodum pueri decora patefieri possint scripsitque 'nota esse queant', id quod Baehrensius in textum recepit. At idem sensus restituitur mutatione multo leviore, pro 'potasse' 'patuisse' si scripseris. Accedit quod corruptelae origo multo facilius explicatur. Neque enim quisquam negabit 'potasse' verisimilius ex 'patuisse' lectione quam ex 'nota esse' potuisse corrumpi. Legendum igitur sic:

Nam pudor ingenuae mentis tranquillaque morum
Temperies teneroque animus maturior aevo
Carmine quo *patuisse queant*?

III 3, 1 sqq:

Summa deum, Pietas, cuius gratissima caelo
Rara profanatas inspectant numina terras,
Huc vittata comam niveoque insignis amictu,
Qualis adhuc praesens nullaque expulsa nocentum
Fraude rudes populos atque aurea regna colebas,

Mitibus exequiis ades et lugentis Etrusci
Cerne pios fletus laudataque lumina terge.

Claudius Etruscus pro ea quae ei erat cum Statio familiaritate facile a poeta impetravit, ut patris mortui, Claudii Etrusci maioris, Tiberii imperatoris liberti deinceps ad summos dignitatis gradus provecti, iam enim Nerone imperatore factus erat procurator a rationibus, exsisteret praeco. Morem igitur gerit libenter amico poeta filiumque consolatur, quod talis tantique viri mortem lugeat lacrimis, quod amarissimum sit, veris. (ep. III.) Lectionem 'laudataque' v. 7. ferri non posse in propatulo est. Sine dubio corrigendum 'foedataque lumina terge' collato v. 180, ubi de eodem Etrusco dicitur: 'Tunc immane gemens foedatusque ora tepentes Affatur cineres'. In eiusdem carminis v. 23 fingit poeta Etrusci defuncti umbram iam Tartarum subeuntem continuatque consolationem sic:

Exultent placidi Lethaea ad flumina manes,
Elysiae gaudete domus; date serta per aras
Festaque pallentes hilarent altaria lucos:
Felix et nimium felix plorataque nato
Umbra venit.

Corruptelam 'et' quae v. 25 est obvia Bentleius 'o', Baehrensius 'a' interiectionibus insertis tollere sunt conati. At me quidem iudice pro 'et' si scripseris 'en', et propius ad codd. vestigia accesseris et sensui bene consulueris, siquidem vates pathetice — sit venia verbo — umbram venientem cernere atque significare sibi videtur.

V. 70 seqq. codd. lectio haec est:

Hinc et in Arctoas tenuis comes usque pruinas
Terribilem affatu passus visuque tyrannum
Immanemque suis, ut qui metuenda ferarum
Corda domant mersasque iubent iam sanguine tacto
Reddere ab ore manus et nulla vivere praeda.
Praecipuos sed enim merito surrexit in artus
Nondum stelligerum senior dimissus in axem
Claudius et longo transmisit habere Neroni.

Laudat his versibus poeta Etruscum, quod cum Caligulam tenuis comes in Galliam secutus sit' terribilem affatu visuque tyrannum eadem sollertia tractaverit, qua ferarum domitores utuntur, qui quamquam manus cruentas faucibus ferarum immiserunt, morsu intactas retrahunt laedique vetant. Lectionem 'immanemque suis' corruptam esse primo aspectu patet. Verbum finitum ut restituatur, et sensus efflagitat et corruptelae vestigia indicant. Neque vero quod Baehrensius coniecit, qui pro 'suis' 'emollis' commentus est, cuiquam probabitur. Corrigendum est pro 'suis' 'subis' legendumque:

Terribilem affatu passus visuque tyrannum
Immanemque subis, ut qui metuenda ferarum
Corda domant . . .

Iam sententia omni ex parte perspicua. Subiit Etruscus Caligulam tyrannum ut qui fe-

ras subeunt offasque iam oblatas ex ore reddere iubent. De verbi subeundi significatione cf. 3,1,90 'Dilectaque Polli Corda subit blandisque virum complectitur ulnis'. Theb. 8,85 'subit ille minantem'. Theb. 9,510 'precibus Tonantem Iuno'. In eiusdem carminis v. 76 pro 'artus' corruptela haud scio an scribendum sit 'ortus'. Hominum fata cum siderum ortu obituque a poetis nonnumquam comparari et aliis poetarum locis comprobatur et ipsis Statii carminibus confirmari potest, qui in silv. l. 4. ecl. 1, v. 25, ubi septimus decimus Domitiani consulatus celebratur, haec profert: 'Ortibus utque tuis gaudent turmaeque tribusque Purpureique patres', quemadmodum secundum Iacobsii coniecturam palmarem legendum est. Cf. silv. 5,5,73. 'Quin alios ortus libertatemque sub ipsis Uberibus tibi, parve, dedi.'

In l. III ecl. 5 crux quae dicitur critica v. 104 repperitur, quae ab interpretibus adeo non sublata est, ut etiam nunc sub iudice litem esse certum videatur. Obsecrat poeta uxorem invitam, ut Roma relicta Neapolim secum se conferat, urbem omnibus oblectationibus vitae affluentem, id quod versibus exponit his:

Nec desunt variae circum oblectamina vitae:
Sive vaporiferas, blandissima litora, Baias
Enthea fatidicae seu visere tecta Sibyllae
Dulce sit Iliacoque iugum memorabile remo,
Seu tibi Bacchei vineta madentia Gauri
Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis
Lumina noctivagae tollit Pharus aemula lunae,
Caraque non molli iuga Surrentina Lyaeo,
Quae meus ante alios habitator Pollius auget
Denarumque lacus medicos Stabiasque renatas.

Primo obtutu apparet vocem 'Denarumque' corruptam esse. Ut brevis sim, desideratur nomen insulae prope Neapolim sitae, cuius lacus medici famam celebrem collegerint. Qua suspicione motus, codd. vestigiis insistens, coniecerim 'Inarimesque lacus medicos'. Inarime, Pithecusa insula, cui hodie est nomen Ischia. Cf. Ovid. Met. 24,89 'Orbataque praeside pinus Inarimen Prochytenque legit.' Verg. A. 9,716 'Tum sonitu Prochyte alta tremit durumque cubile Inarime Iovis imperiis imposta Typhoeo'. 'D' literam initialem per διττογραφίαν ex versus superioris simili litera 'Q' in textum irrepsisse, haud improbabile est. Imhofius in carminis huius editione Halis a. 1863 emissa coniecit 'Dimidiaeque', Domitius 'Aenariaeque'. At certe quidem nomen Inarime, quamvis insulam significet eandem, cum sit magis priscum, et poetarum consuetudini elegantiaeque multo magis convenit et eadem de causa, uti exempla docent, frequentius usurpatur. Cf. silv. 2, 2, 76:

'Haec videt Inarimen, illic Prochyta aspera paret'.

Carmine lyrico 4,5 Statius laudes pangit Septimii Severi, ordinis equestris iuvenis (cf. praef. 'inter ornatissimos secundi ordinis') eiusdem et oratoris et poetae insignis, (Teuffel H. L. R. p. 308,9) cum ipse in Albano suo praedio versaretur. Describit ibi poeta inde a v. 5 veris iam instantis amoenitatem sic:

Iam trux ad Arctos Parrbasias hiems
Concessit altis obruta solibus,
Iam pontus ac tellus renident,
Jam Zephyris Aquilo refractus.

Nunc cuncta ueris frondibus annuis
Crinitur arbos, nunc volucrum novi
Questus inexpertumque carmen
Quod tacita statuere bruma.

Vocem 'ueris' v. 9. corruptam esse manifestum est. Cui quidem corruptelae Baehrensius et Marklandus subvenire conati sunt, alter 'ueri' alter 'uernans' conicientes. Nobis omnes difficultates sublatae videntur levissima mutatione admissa, pro 'ueris' sribentibus 'ruris'. Cum res sit aperta, longiore disputatione supersedere posse mihi videor transeoque ad l. IV ecl. 8 v. 32 sqq:

Sed queror haud faciles, iuvenum carissime, questus
Irascorque etiam, quantum irascuntur amantes.
Tantane me decuit vulgari gaudia fama
Noscere? Cumque tibi vagiret tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Litera, quae festos cumulare altaribus ignes
Et redimire obem postesque ornare iuberet
Albanoque cadum sordentem promere fumo
Et cantu signare diem? Si tardus inersque
Nunc demum mea vota cano: tu culpa tuusque
Hic pudor.

Gratulationem miserat Statius ad Julium Menecratem, municipem suum Polliique Felicis generum, ob auctam prolem. Queritur poeta inde a. v. 31 sqq., quod non literis per Menecratem certior factus sed vulgari hominum fama, quae percrebuerat Neapoli, nuntium gratum compererit. V. 40 lectionis 'diem cantu signare' alteram utram vocem corruptam esse patet. Atque interpretes quidem omnes corruptelae sedem investigantes Bentleio auctore 'cantu' vocabulum in suspicionem vocarunt Bentleiumque secuti sunt pro 'cantu' conicientem 'creta', non tam sententiae necessitate inducti quam specie quadam probabilitatis pellecti. Tantum enim abest, ut 'cantu' lectio corrupta sit ut unice sit vera atque genuina, id quod versibus sequentibus comprobatur, ubi legitur: 'Si tardus inersque nunc demum mea vota cano, tu culpa.' Respondent igitur haec verba, quibus quasi quoddam opprobrium Statius Menecrati obvertit, sententiae priori, qua significaverat, sero nuncio se prohiberi, quominus cantu diem celebraret. Ut brevis sim, emendandum est: 'Et cantu sacrare diem'. Jam verbis insequentibus huic emendationi lux affunditur interpretandusque locus ita est: Si tardus inersque nunc demum mea vota cano, si ipso die natali cantu sacrare diem festum praetermisi, iure meo sum excusandus, tu reprehendendus, qui amicum certiorem non feceris. De sacrandi verbi significatione cf. Stat. ep. IV 'cum hunc diem forte consecraremus.' Hor. C. I 26,11 'hunc Lesbio sacrare plectro.' Ovid. Pont. 4, 8, 64 'Carmina sacrarunt avum tuum.' Attameu nondum omnibus difficultatibus, quibus implicatus est hic locus, est expeditus.

Etenim residet corruptela v. 38. Cod. Vrat. lectio mutila, exhibet enim 'et redimire chem'. Singulas quasque periodi sententias si examinaveris, statim fiet, ut desideres pro sollemni solitoque diei natalis ritu coronationem capitis sertorumque crinibus impositorum mentionem. Quam ob rem non longe a vero aberrasse nobis videbimur e 'chem' corruptela elicientes vocem 'comam', praesertim si reputaverimus, vocem exarari potuisse '$\overline{\text{com}}$'. Quod alii suspicati sunt 'chelyn', minus placet, quod lyrae quidem redimitae mentio sine sensus iactura deesse potest, vatis ipsius coronati Menecratique amicissimi non item. Totus igitur locus conformandus est sic:

Sed queror haud faciles, iuvenum carissime, questus
Irascorque etiam, quantum irascuntur amantes.
Tantane me decuit vulgari gaudia fama
Noscere? Cumque tibi vagiret tertius infans,
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Litera, quae festos cumulare altaribus ignes
Et redimire comam postesque ornare iuberet
Albanoque cadum sordentem promere fumo
Et cantu sacrare diem? Si tardus inersque
Nunc demum mea vota cano, tu culpa tuusque
Hic pudor.

V 1, 108 sqq:

Qualem te superi, Priscilla, hominesque benigno
Aspexere die, cum primum ingentibus actis
Admotus coniunx! Vicisti gaudia cenae
Ipsius, effuso dum pectore prona sacratos
Ante pedes avide domini tam magna merentis
Volveris.

Antistia Priscilla, uxor Abascantii liberti, id temporis inter summi gradus viros excellentissimi, etenim cura ab epistulis ei erat a Domitiano imperatore oblata, cum diem supremum obiisset, precibus vidui coniugis Statius facile est obsecutus, ut epicedion conderet in honorem defunctae. Quo carmine occasione oblata summis laudibus effert poeta uxorem, quod cum summi imperatoris indulgentia cura ab epistulis coniugi esset mandata, quod munus inter gravissima referebatur, ad genua Domitiani provoluta, superbiens honore, gaudium mariti testata esset, gratias agens meritas. Qui si sensus statuitur, sine dubio autem statuendus est, corruptelae sedem in lectione 'cenae' latere in promptu est, cum sensum praebeat nullum. Restituendum, id quod sensus efflagitat, 'curae'. Vicisti gaudia curae ipsius coniugis. De vincendi et curae vocabulorum usu et significatione exempla conferenda sunt haec: Stat. 5, 1, 86, ubi de eiusdem Abascantii munere publico legitur: 'Nec enim numerosior altera sacra Cura domo.' Suet. Aug. 36. Verg. G. 3, 289 'Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum Quam sit.' Ceterum cf. Kochii lex. Verg. s. v. 'vinco.'

Inde a v. 180 consolatur uxor iam iam spiritum haustura supremum coniugem verbis his:

Linquo equidem thalamos, salvo tamen ordine montis
Quod prior exegi longa potiora senecta

Tempora; vidi omni pridem te flore nitentem,
Vidi altae propius propiusque accedere dextrae.

Corruptela 'montis', quam corruptelam exhibet cod. Vrat. emendabitur probabilitate haud parva, si scripseris 'mortis'. Obsecrat enim uxor moritura coniugem, ut lacrimis iam temperet. Morior equidem, sic pergit, prior secundum statas leges naturae, salvo iustoque mortis ordine, quoniam natu sum maior. Vidi enim omni pridem te flore nitentem. . . . .

V 2, 128 sqq:

Monstrabunt acies Mavors Actaeaque virgo,
Flectere Castor equos, humeris quatere arma Quirinus,
Qui tibi tam tenero permisit plaudere collo
Nubigenas clipeos intactaque caedibus arma.

Docebunt Vettium Crispinum adulescentem, inquit poeta, et Mavors et Quirinus artem militarem monstrabuntque armorum usum, cui benigna fortuna permisit, ut iam tener puer aurea arma collo gereret, ornamenta illa pueritiae, ingenuitatis lautaeque fortunae insignia. Sententiae igitur condicio poscit, ut emendemus: 'Qui tibi iam tenero'; quae mutatio cum tam levicula sit, ut non tam coniectura quam altera lectio dici possit, cum sensu magis commendetur, non est, cur in dubitationem vocari queat. Significantur igitur crepundia, veluti ensiculi aurei clipeique armaque omnino puerorum ingenuorum *ἀναγνωρίσματα*. (Cic. Brut. 91). Iam per se patet v. 131 lectioni 'arma' locum suum iustum dari debere, quae lectio immerito Marklando auctore coniectura superflua 'aera' a Baehrensio in textum recepta est. Totus igitur, de quo agitur, locus legendus est sic:

Monstrabunt acies Mavors Actaeaque virgo
Flectere Castor equos, humeris quatere arma Quirinus,
Qui tibi iam tenero permisit plaudere collo
Nubigenas clipeos intactaque caedibus arma.

Quod in patris defuncti honorem Statius composuit epicedion V 3, id quamquam aetatem tulit tamen dolendum quod tot tantisque mendis corruptelisque inquinatum se offert. Quod autem in omnia Statii cadit carmina ut aut propter dicendi consuetudinem obscuram aut propter sententiae condicionem parum dispectam nimiis difficultatibus sint obnoxia, idem de hoc, de quo disputaturi sumus, carmine multo valet etiam magis. Quae cum ita sint, in animo nobis est de quattuor et corruptelae origine et medelae via ac ratione insignibus locis disputationem instituere. Atque ut carminis filum sequamur, inde a v. 33 proficiscatur disputatio. Legitur ibi vulgo sic:

Vix haec in munera solvo
Primum animum tacitisque situm depellere curis
Nunc etiam labente manu nec lumine sicco
Ordior acclinis tumulo, quo molle quiescis
Jugera nostra tenens, ubi post Aeneia fata
Stellatus Latiis ingessit montibus Albam
Ascanius, Phrygio dum pingues sanguine campos
Odit et infaustae regnum dotale novercae.

Maeret igitur poeta, quod patris obitu afflictus sit viresque haud sufficiant cantui, quamquam fidium lyraeque ludo solitus sit depellere luctus nubem. Fro 'curis' corruptela requiri lectionem 'chordis' iam vidit Schraderus. At restat corruptela 'tacitisque', quippe quae sensui obversetur. Vix est quod ambigas una litera 'i' sublata lectionem restitui genuinam. Scribendum enim sine dubio 'tactisque situm depellere chordis', qua coniectura et palaeographiae rationibus, mutatio enim levicula, et sententiae cardini aeque optime consultum. 'Tangere chordas' saepe apud poetas reperiri elocutionem notum. Cf. Ov. rem. am. 336 'chordas t'. Cf. etiam Stat. silv. 5, 5,31, ubi de simili luctu legitur: 'Nec eburno pollice chordas Pulso sed incertam digitis errantibus amens Scindo chelyn. Inde a v. 47 poeta profitetur haec:

Atque utinam fortuna mihi, dare manibus aras,
Par templis opus, aeriamque educere molem,
Cyclopum scopulos ultra atque audacia saxa
Pyramidum, et magno tumulum praetexere luco!
Illic et Siculi superassem dona sepulcri
Et Nemees lucum et Pelopis sollemnia trunci.
Illic Oebalio non finderet aera disco
Graiorum vis unda virum, non arva rigaret
Sudor equum aut putri sonitum daret ungula fossa;
Sed Phoebi simplex chorus, et frondentia vatum
Praemia laudato, genitor, te rite ligarem.

Si divitiarum opumque mihi afflueret copia, inquit poeta, patris mortui gloriam ludis celebrarem splendidioribus quam Nemea sunt et Olympia, quibus Pelopis funera celebrantur. Neque vero in sepulcro patris rude certaminum genus adhiberetur neque permitterem, ut ungula certantis equi sepulcrum patris tereret. Citharae potius carminumque cantu laudes funderentur vatis paterni. Quae cum ita sint, neque sensus ex textus servati vestigiis elici potest alius, corruptela 'fossa', quae corruptela crux fuit interpretum nimiumque vexavit criticos, non aliter tolli posse mihi videtur, nisi si sepulcri notio, quam notionem enunciatum efflagitat, investigetur. Atque corruptelae 'fossa' vestigiis nobis insistentibus nulla 'busto' voce propius accedere videtur ad codd. memoriam et sensui tam accurate tamque eleganter respondere, ut sine scrupulo in ea acquiescas. Quod Marklandus exemplorum similitudine adductus suspicatus est 'campo', literarum vestigiis prorsus alienis, parum commendatur. Neque enim inde verisimilitudinis quidquam redundat, quod idem verborum tenor pluribus exemplis perhibetur. Etenim hoc, de quo agitur, loco, unus sermo est de patris sepulcro, cui insultare ungulas certantium equorum vates filius nefas putat. Certe sensum nobis spectantibus multo magis arridet emendatio nostra, praeterquam quod palaeographiae quae dicitur verisimilitudo haud parum suffragatur voci 'busto.' Quomodo enim ex 'campo' lectione 'fossa' corruptela oriri potuerit, explicare non queas. Quae v. 54 residet corruptela 'nuda' vel 'unda', ei coniectura 'uda' interpretes lucem attulisse sibi persuaserunt. At multo propius ad codd. memoriam accedit quod nobis videtur 'uncta' (cf. unda et uncta), praeterquam quod verbum est proprium caestus. Cf. Hor. ep. 2, 1, 33 'Luctamur Achivis doctius unctis.'

In eodem carmine inde a. v. 146 loquitur Statius de poetis poetriisque Graecis, quibus explicandis operam dederit pater. Versus sunt hi:

Hinc tibi vota patrum credi generosaque pubes
Te monitore regi moresque et facta priorum
Discere, quis casus Troiae, quam tardus Ulixes,
Quantus equos pugnasque virum decurrere versu
Maeonides quantumque pios ditarit agrestes
Ascraeus Siculusque senex, qua lege recurrat
Pindaricae vox flexa lyrae volucrumque precator
Ibycus et tetricis Alcman cantatus Amyclis
Stesichorusque ferox saltusque ingressa viriles
Non formidata temeraria Leucade Sappho,
Quosque alios dignata chelys: Tu pandere doctus
Carmina Battiadae latebrasque Lycophronis atri
Sophronaque implicitum tenuisque arcana Corinnae.

Lectionem 'saltusque', cum non esset ferenda, iam Marklandus merito in suspicionem ocavit. Neque vero quod ipse proposuit cuiquam probabitur 'actusque egressa' utpote languidum. Notae sunt de Sappho poetria fabulae veterum comoediis pervulgatae. Inde et apud alios poetas et apud Horatium cognomen traxit 'mascula'; cf. ep. 1, 19, 28. Quare non sine aliqua probabilitate suspicari nobis videbimur, subesse corruptelae substantivum falsae huic fictaeque Sapphus poetriae proprietati respondens. Neque vero quid sit reponendum, diu quaesiveris. Etenim indolem Statianam si quid sapio, pro 'ſaltus' corruptela restituendum 'faſtus', quae vox et palaeographiae rationibus optime inservit et sensus elegantia magnopere commendatur. Quae eadem vocabula non nunquam in codicibus confusa esse, si quis in membranis scrutandis est versatus, minime negabit. Quod igitur de mascula Sappho simpliciter dixit Horatius, idem solita verborum pompa usus renunciavit Statius verbis 'fastus ingressa viriles'. Non praetermittendum videtur ne id quidem Baehrensium nimio coniectandi studio pellectum codd. lectionem 'Lycophronis atri' mutasse in 'Lycophronis arti', qui parum respexerit Lycophroni propter sermonis fabularumque nimias tenebras cognominis instar 'ater' inditum esse epitheton. Cf. prae ceteris Suidae s. v. 'Lycophron' de *'Κασσάνδρα'* poemate testimonium: *'Σκοτεινὸν ποίημα.'*

Restat, ut de eiusdem libri corruptela memorabili disputemus, quae in carminis omnium extremi reperitur v. 38. Lamentatur poeta, quod morte pueri delicati ita sit afflictus, ut qui alios carminibus lugubribus consolari potuerit, sibi ipse subvenire non possit, cum vires nimio dolore deficiant. Verba sunt haec:

Ille ego qui (quotiens!) blando matrumque patrumque
Vulnera, qui viduos potui mulcere dolores,
Ille ego lugentum mitis solator, acerbis
Auditus tumulis et descendentibus umbris,
Deficio . . . .

In sententiam si accuratius inquisiveris, non dubitabis, quin emendandum sit pro 'blando' 'fando', quam vocem sententia ipsa desiderat, praeterquam quod comprobatur certaque redditur eiusdem carminis v. 49, ubi eisdem verbis usus poeta de eadem re queritur dicens 'absumptae vires et copia fandi Nulla mihi'. Ceterum de fandi verbo cf. etiam silv. 1, 4, 35. 5, 3, 101. Textus igitur restituendus est sic:

Ille ego qui (quotiens!) fando matrumque patrumque
Vulnera, qui viduos potui mulcere dolores,
Ille ego lugentum mitis solator, acerbis
Auditus tumulis et descendentibus umbris,
Deficio . . —